

- Frgm.
II Ac furiosis contionibus indixerat.
Opportune et acriter furiosum Clodium dicit, ut in eum suspicio conveniat incesti, cuius ingenium furore iactetur.
- Frgm.
III Quod simul ab eo mihi et rei p. denuntiabatur.
Et suae dignitati plurimum dedit et Clodium vehementius 5
accusavit; nam gloriae Ciceronis accedit, quod seiungi ab re p. non potest; invidiae autem P. Clodii adstruitur, si odisse videatur in Cicerone rem p.
- Frgm.
IV Nihil me addere ad alterius periculum.
Satis agit, ut in dicendo testimonio non existimetur 10
esse mentitus.
- Frgm.
V Sin esset iudicatum non videri virum venisse,
quo iste venisset.
Amaritudo stomachi est in hac sententia, qua perstringit mores P. Clodi scilicet impudicos ita dicendo: *non videri virum* 15
venisse, quo iste venisset, quasi hoc pronuntiaverint, qui eum sententiis suis liberaverunt, non ut incestum sibi probari non potuisse dicerent, sed ut ipsum virum negarent.
- Frgm.
VI Ut ille iudicio tamquam e naufragio nudus
emersit. 20
<Hoc> in loco et ipsorum iudicium perstringit infamiam, quorum sententiis fuerat absolutus. Nam partim trecena millia, partim vero, secundum opiniones aliorum, quadringena accepisse dicuntur.
- Frgm.
VII Syriam sibi nos extra ordinem polliceri. 25
Diximus in argumento per illud tempus Clodium fuisse quaestorem. Opimas igitur provincias cupiditati suae blandientem dicit in animo habuisse, quasi hoc ab senatu consequi posset, quod ipse rapinarum meditatione gestiret.
- Frgm.
VIII Creditoribus suis spem ostentare provinciae 30
videretur.
Et defaeneratum hac in parte significat.